

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
NON PVBLICANDIS
PROHIBENTE CHRISTO,
IPSIIS
MIRACVLIS,

QVAM
PRAE SIDE
CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARIO,
VNIVERSITATIS CANCELLARIO,
ABBATE LAVREACENSI,

D. II. IVNII A. MDCLII.

IN AVLA THEOLOGORVM NOVA

DEFENDENT

M. FRIDERICVS DAVID SPINDLER,
NEOSTADIENSIS,

ET

M. BENIAMIN CHRISTOPH. SCHMIDLIN.
MÜNCHINGENSIS.

S. THEOL. STVDIOSI IN ILL. STIP.

TVBINGAE
LITTERIS ERHARDIANIS.

lio. oll. diss. A
30.08.19

Diff. A. 208. (19.)

~~111~~ ~~111~~ ~~111~~





PRÆFATI O.


Mirum videri possit , Christum jussisse sub-
inde , ne manifestarentur ipsius miracu-
la Matth. VIII. 4. IX. 30. XII. 16. 17.

Marc. III. 12. V. 43. VII. 36. VIII. 26. cùm ta-
men aliâs contrarium jusserit Matth. XI. 4. 5.

Marc. V. 19. Luc. VIII. 39. atque eapropter mi-
racula patraverit , ut ex iis patesceret , ipsum esse
Messiam Matth. IX. 6. Luc. XI. 20. Joh. V. 36.
X. 25. 38. XIV. 10. II. XV. 24. XX. 30. 31. cùm

A

&



& lex gratitudinis poposcerit à sanatis, ut manife-
 starent miracula in ipsis à Christo patrata, & cele-
 brarent ipsius laudes Luc. XVII. 15. 18. cùm & lex
 divina de laudando Deo, ejus operibus & mira-
 culis sit indispensabilis Pf. XCVI. 3. CIII. 22.
 cùm denique impossibile fuerit, ut palam à Chri-
 sto gesta tanta opera in notitiam hominum non
 venirent Matth. X. 26. 27. Ita & prohibuit disci-
 pulis manifestationem visionis & transfigurationis
 in monte Matth. XVII. 9. & injunxit, ne cui di-
 cerent, quod esset Messias Matth. XVI. 20. cùm
 tamen Sacerdoti summo rotundè responderit,
 Messiam se esse Marc. XIV. 61. 62. Itane ergò
 occultandum erat fidei salvificæ objectum, oc-
 cultanda erat Evangelii summa? Digna est diffi-
 cultas, quam solvamus, maximè & eapropter,
 quod ex hoc ipso medio termino miracula Christi
 suspecta reddere conatus est T H. WOOLSTON,
 incredulorum ex Anglis nuper alter coryphæus.

§. I.



§. I.

Rationes hujus prohibitionis vel quærendæ sunt
in Christo ipso, vel in iis, quos sanavit, vel qui
illa viderant, vel in discipulis Christi iisque,
queis istæ prohibitiones factæ fuere, vel in
iis, queis manifestari poterant, vel in mo-
do hujus manifestationis, vel in illius infaustis sequelis, vel
in miraculis ipsis palam aut privatim patratis. Patebit
hinc, num prohibitiones istæ fuerint absolutæ vel ad cer-
tum saltem tempus restrictæ, quî & alia prohibitio aliam
rationem habuerit. Aut desperandum est de solutione
hujus difficultatis, dicendumque, rationes hujus prohibi-
tionis nos latere prorsus, quod ferè edixit WITSIVS in
anelet. Leid. p. 353. ubi de hâc quæstione datâ opera agit.

§. 2.

Si Christum ipsum respexeris, vel dici possit, Chri-
stum injunxisse silentium hoc, ut eò magis acueret vulgan-
di desiderium, juxta illud:


nitimus in vetitum semper cupimusque negata,
vel, ut experimentum caperet gratitudinis miraculose à se
sanatorum, ita LIGHTFOOTVS, vel noluisse Christum
videri violatorem legis Mosaicæ, quòd leprosum, quòd
filiam Jairi mortuam attigisset Lev. V. 2. 3. XXI. 1. ita

HARDVINVS, vel quia tūm fuerit in statu exinanitionis, ita DORSCHEVS, vel, ut constaret hinc, quām alienus esset ab omni vanâ jactantia, quām modestus Jes. XLII. 2. Joh. VIII. 50. Phil. II. 6. ita TERTULLIANVS, ORIGENES, AMBROSIUS, HILARIUS, HIERONYMVS, CHRYSOSTOMVS, GREGORIUS M. BEDA, THEOPHYLACTVS, EUTHYMIUS, & permulti ex recentioribus. Ita DANNHAWERVS: Nemini *inquit*, dixeris, *scilicet*, *quasi ego famam tanquam miraculi mercedem ambirem*, in idea boni interpretis p. 27. AGATHO, Pontifex Romanus provocat hic ad duplicem in Christo voluntatem, divinam, juxta quam voluerit, ut manifestarentur miracula sua, humana, secundum quam noluerit, in ep. ad Imperatores Heraclium & Tiberium, quæ habetur Act. IV. Concilii CP. III. seu Oecumenici VI. contra Monotheletas habiti. Ita & THOMAS Aquinas in summâ Theologiæ P. III. qu. 13. sub finem. GREGORIUS de VALENTIA putat, Christum noluisse, ut miracula sua manifestarentur, voluntate ineffaci & conditionatâ, ne videretur jactabundus, voluisse autem, ut publicarentur, voluntate efficaci, propter gloriam Dei, eo ferè modo, quo deprecatus fuerit calicem, quem tamen lubenter ebiberit. Vide Comment. Theol. T. IV. disp. I. qu. 13. sub finem.

§. 3.

Ex hisce rationibus vix una placet. Quod enim pri-
mam concernit, etsi Christus subinde & simulaverit, &
dissi-

dissimulaverit Luc. XXIV. 28. Joh. VII. 8. 10. & subinde
suos dissimulare jussisse videatur Luc. XVII. 10. servus
enim, qui fecit omnia, quæ jesus est, non videtur dici
posse inutilis, nisi ex modestiâ ita se velit nuncupare,
tamen hoc stratagemate non habebat opus Christus, qui
norât, quâm proni ad miracula illa benefica in ipsis pa-
trata essent homines fanati. Sed & secunda ob eandem
rationem non valet, nec & ob hanc, quia non opus ha-
bebat Christus ejusmodi experimento, qui probè sciebat,
quid in homine esset Joh. II. 25. Adde, ingratum pro-
pter jussum Christi facile se excusatum. HARDVINI
sententia nimis longè petita est, & duo saltem loca tan-
git, ut taceam, Christum aliâs testatum fecisse, quòd le-
gem ceremonialem abrogaret. Vide saltem Matth. XII.
1. sqq. Status porrò exinanitionis tām non publicationi
miraculorum obest, quâm miracula ipsa, quæ fecit ad
gloriam suam manifestandam Joh. II. 11. & aliâs manife-
stare jussit & eam ob causam maximam partem patravit
palam. Sparsit in hoc statu Christus divinitatis radios,
uti humilitatis abundantissima dedit specimina. Sed nec
voluntas humana Christi voluntati divinæ opponi debet,
cūm & volitiones hujus & illius naturæ in unum con-
fluant *ἀπολέσμα*, excepto loco de bibendo calice, ubi
volitio vel potius infirmitas humana naturalis in divinam
voluntatem se resignavit. Mitius de GREGORII de VA-
LENTIA conjecturâ senseris.



§. 4.

Si respexeris sanatos à Christo, vel eos, qui in miracula ejus videbant, aliæ prohibitionis causæ fingi possunt, vel tradi. Ita certè leproso Matth. VIII. 4. injunxit Christus, ne miraculum patefaceret, donec se ostenderet Sacerdoti, qui aliâs, si nôsset, JEsum ipsum curâsse, immundum eum ex invidiâ declaraturus forsan erat. Rectè ita EPISCOPIVS in resp. ad qu. 11. ubi datâ operâ hoc thema tractat. Communis hæc sententia est, cui tamen refragatur CHRYSTOMVS ad h. l. HIERONYMVS hanc putat rationem esse: *Quid erat necesse, ut sermone jactaret, quod corpore præferebat?* Sed hoc ferculneum est. Lex gratitudinis poscebat, ut gloria Deo daretur, & ex eo, quòd mundus erat, constare nondum poterat, ipsum ante immundum fuisse. Nimiumque probat hoc argumentum. Ita enim nullum miraculum ferè propalandum erat. Ast peculiaris hic casus est, qualis & iste Marc. III. 12. ubi Christus videtur dæmonibus in obsessis, esse ipsum Filium Dei, clamantibus silentium indixisse, non sanatis ipsis Marc. I. 25. Luc. IV. 35. Non conveniebat quippe, ut dæmones præcones Evangelii essent, licet nihilominus ipsorum, hostiam scilicet, testimonium valeret eò magis. Nec dici quoque potest, sanatis à Christo inhibitam fuisse istam miraculorum propalationem, quia hoc Apostolorum privum fuerit munus, quæ HILARII sententia est. Falsum quippe hoc, si saltē consideraveris, Christum jussisse & alios, ut miracula sua manifestarent. Vide supra

§. 1.

¶. i. Sunt ergo complures, qui putant, his & illis sanatis inhibitam fuisse miraculi manifestationem, ne viderentur ex compacto & per collusionem cum Christo egisse & ab hoc fuisse subornati. Non inepta hæc conjectura est apud eos, quos palam Christus haud sanavit & quos ægros fuisse non omnino constiterat. Vide ill. MOSHEMII heilige Reden loco infra citando. Jam & sunt, qui existimant, miraculorum manifestationem illis maximè fuisse interdictam, qui ea jaetabundi & cum infectione Pharisæorum & Sacerdotum, qui jam in necem Christi, cuius verò tempus nondum venerat Luc. XIII. 32. 33. Joh. VII. 8. 30. VIII. 20. conspirarant Matth. XII. 14. sqq. Marc. III. 6. sqq. Joh. V. 16. VII. 1. 19. 25. 44. VIII. 40. 59. propalaturi essent, qui & odium Judæorum in se quoque versuri erant, ad martyrium inepti. Vide GARISSOLIVM de Christo Mediatore p. 136. Hinc & WHITBY, Theologus Anglus ad Matth. IX. 30. putat, distinguendum hic esse inter Judæos & gentiles, Christum probibuisse sâtem miracula sua propalare inter illos, non inter hos, quod tamen secus se habere videtur Marc. VII. 31. 32. ubi Christus in mediâ Decapoli, cuius civitates quidem præcise determinare haud nôrunt Geographi sacri, sed quæ tamen gentiles in sinu suo æquè fovebat ac Judæos, miraculum in muto & surdo patratum manifestare prohibuit comm. 36. Aliter hoc inflectit AVGVSTINVS in quæst. 77. ad N. T. ubi: *Istud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat.* Sed siculneum hoc, cùm constet,

stet, Christum tūm jam temporis plurima miracula inter gentiles patrâsse.

§. 5.

Ita & in illis, queis manifestari poterant Christi miracula, prohibitionis rationes quærere possis. Quid opus erat, Sacerdotes & Pharisæos ante tempus, uti diximus, irritare? Ita præcipue MALDONATVS. Ast cur aliâs voluit Christus, ut miracula, quæ patrârat, manifestarentur. Vide supra §. 1. Cur miracula patravit, præsentibus Pharisæis, cur patravit palam? Sed, quid conveniebat, miracula annunciare indignis? Ita LIGHTFOOTVS, ita & SAL. LOWE, cuius exstat antidotum contra WOOLSTONVM, cui adjacet an account of our Saviour's conduct with regard to the publishing or concealing his miracles London 1729. 8. Certè enim sanctum non dandum erat canibus nec margaritæ porcis projiciendæ Matth. VII. 6. Ita Betsaidæi indigni erant, queis narraretur miraculum à cæco sanato Marc. VIII. 26. Hinc nec Nazareti potuit multa miracula facere Matth. XIII. 58. Marc. VI. 5. Sed & contra hanc rationem militat, quod contra priorem diximus.

§. 6.

Ex modo promulgationis quoque argui possit prohibitionis ratio. De illo jam diximus §. 4. ubi diximus, noluisse Christum, ut promulgarentur miracula à jactabundis & cum insectatione Sacerdotum & Pharisæorum.

§. 7.

§. 7.

Potuit & Christus prohibere hanc promulgationem propter infaustas ejusdem sequelas, ne, uti diximus, ante tempus raperetur ad necem, ne multitudine ægrotorum opprimeretur, ne seditionem excitaret & populus eum ad regnum capessendum raperet, quæ est sententia CLERICI, WHITBII, OLEARII, & vel maximè LOCKII de rationabiliate Christianismi P.I.C. 8. itemque GAILLARDI in specimine quæstionum de Filio hominis qu. 3. quæ hæc est, *cur Jesus interdixerit discipulis suis, ut nemini dicerent, eum esse Christum, cùm ipse Filium hominis se passim appellaverit, ut se Christum esse significaret?* Ast, cur ergò palam, coram populo, coram Sacerdotibus & Pharisæis patravit miracula, cur rotundè professus est, se esse Messiam, se esse Filium Dei?


§. 8.

Sunt &, qui putant, prohibuisse Christum promulgationem miraculorum suorum, donec alia accederent, prioribus eò majorem fidem conciliatura, donec sigillum miraculis suis imponeret ipsius resurrectio Matth. XVII. 9. Sed cur miracula aliâs jussit promulgare, antequâm ea multiplicasset, ante resurrectionem suam?

§. 9.

Nova ratio prohibitionis est, quam excogitavit GREGORIVS M. adoptavit postea THOMAS Aquinas. Ita verò ille: *Quærendum nobis est, quid sit hoc, quod ipse omnipotens, cui hoc est velle, quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his, qui illuminati sunt, quasi invitatus indicatur, nisi, quod servis*

B



servis suis se sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent. Et tamen, ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti, Et facta quidem sua occultando se ipsos custodian, sed, dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur, Et eorum occultatio sit custodia propria, eorumque publicatio sit utilitas aliena. Moralium L. XIX. §. 36. Ita & THOMAS in summa Theol. P. III. qu. 13. versus finem & qu. 44. art. 3. sub finem. Sed cur aliâs Christus jussit promulgare miracula sua? Fuitne hoc contrarium ipsius humilitati?

§. 10.

Alii alias allegant rationes. Ita THEOPHYLACTVS putat, Christum ex misericordiâ erga Betsaidæos jussisse cæcum abs se sanatum, ne miraculum extra vicum patratum in vico divulgaret, ne damnatio eorum redderetur gravior, si & hoc miraculum sprevissent. Eundem in modum HAMMONDV ad Matth. VIII. 4. scribit, Christum, quod Pharisæorum damnationem nollet aggravare, voluisse subinde, ne illis patefierent miracula, ut ignorantiam prætexere possent. Luc. XXIII. 24. Act. III. 17. XIII. 27. I. Cor. II. 8. Alii cau-santur, Christum eapropter noluisse miracula sua prædicari, quia voluerit, ut sine istâ prædicatione ex re ipsâ arguerent homines, illum esse Messiam Matth. XI. 4. 5. Ita CLERICVS ad HAMMONDI l.c. Ita & ill. MOSHEMIVS in den heiligen Reden P. IV. p. 152. putat, prohibitum fuisse iis, qui mutum & surdum ad Christum duxerant Marc. VII. 36. ne mi-

miraculum divulgarent, quoniam vilibus ejusmodi homuncionibus fidem haud habituri fuissent homines, quoniam eorum præconio opus haud habuerit Christus, ipse miracula sua prædicaturus, quoniam, si abiissent, hoc miraculum propalaturi, sic à Christi sequelâ fuissent abducti, quoniam odium Phariseorum, à quo ipsos liberare voluerit Christus, sic sibi conciliaturi fuissent, &c. &c. Forsan plures ejusmodi conjecturas apud Homiletas ad Evangelium ad Dom. XII. Trinit. inveneris. Non vacat verò jam, postillas evolvere, in quibus valdè hospes sum, novam licet, si visum fuerit, daturus, jam olim promissam.

§. II.

Hisce præmissis, crediderim in genere, Christum noluisse, ut miracula sua divulgarentur, ex humilitate, ut ostenderet, quām alienus esset ab omni jactantiā, voluisse tamen & subinde, ut manifestarentur, ad populum de veritate officii sui Messiani convincendum, quemadmodum & subinde radios divinitatis sparsit, & specimina humilitatis dedit. Ita &, licet jussisset subinde, ne vulgarentur, scilicet cum jactantiā & insectatione Sacerdotum & Phariseorum incongruā, miracula sua, sine ullo tamen dubio complacitum habuit in ipsorum divulgatione congruā, ad gloriam Dei manifestandam & deprædicandam unice directā Tob. XII. 8. Joh. II. 11. Sed & dantur hujus & illius prohibitionis rationes speciales, qualem ad Matth. VIII. 4. allegavimus, quam & autor operis imperfecti in Matthæum affert. Ita & duobus cæcis à se sanatis prohibuit publicationem miraculi, quod patrârat

B 2

privatum

privatim in domo, ne videretur ex compacto & per collationem cum ipsis egisse Matth. IX. 30. Sic recte EPISCOPIVS l. c. Ita & sanatis multis injunxit Matth. XII. 16. ne ipsum manifestarent Phariseis, quos tūm nimium irritare nolebat, cūm in necem ipsius consiprāssent comm. 14. Ita cæco extra Betſaidam curato interdixit, in vicum hunc abire, ut miraculum publicaret Marc. VIII. 26. propter summam Betſaidarum indignitatē Matth. XI. 21. qui aliās coram Phariseis, & his indignissimis, miracula fecit, alio ex capite, ut absurdam eorum blasphemiam, quā causabantur, ejicere illum dæmonia per principem dæmoniorum, publicè retunderet. Nec tamen negamus, potuisse & Christo esse alias rationes, nobis occultas, cur miracula hæc & illa evulgare hīc & nunc prohibuerit.

§. 12.

Diximus, eos, qui contra jussum Christi miracula ipsius dignis & congruis modis evulgārint, non peccāsse. Differunt hīc Theologi. Vide saltem ill. MOSHEMIVM l. c. Sed & quæſtionem hanc movent Scholastici, in specie THOMAS Aquinas, in summâ Theol. secundâ secundæ qu. 104. art. 4. num semper Deo mandanti obediendum sit, num nullus detur casus, quo liceat contra præceptum divinum agere? Certè, ita illi, peccaturus erat Abrahamus, si, jubente Deo, filium mactāſſet, peccārunt Israēlitæ, furto commisso in Ægyptios, peccavit Hoseas meretricem ducendo, peccaturus fuisset, certè contra principia œconomica juvenis, si omnia vendidisset Matth. XIX. 21. & quæ ejusmodi alia sunt.

sunt. Malè hæc. Quod nostrum casum attinet, utique peccasset leprosus sanatus, si sanationem suam vulgasset, antequām Sacerdoti se monstrasset, cæcus sanatus, si Betsaidæ narrasset, se visum recuperasse à Christo. Sed reliqui ferè omnes non peccarunt. Neque enim Christus ipsis simpli-citer divulgationem miraculorum suorum prohibuerat, sed faltem cum jactatione incongruâ & insectatione Sacerdotum & Phariseorum junctam, ut diximus.

§. 13.

Ast cur noluit Christus, ut visio ita montana & transfiguratio ipsius à discipulis vulgaretur, cur voluit, ut differretur hæc promulgatio usque ad resurrectionem suam Matth. XVII. 9. Responsio est in promptu, quia fidem his testibus haud habituri erant Judæi, unicis illis & solitariis, rem haud palam gestam narrantibus, fanaticorum vel impostorum potius loco habendis, donec accederet miraculum summum resurrectionis Christi, cætera omnia solennissimè firmaturum. Accedit & hoc, quod Christus, postulantibus Judæis, ut signum de cœlo daret, repulsam jam derat Matth. XII. 39. XVI. 4. Paruere discipuli. Vide Joh. I. 14. 2. Pet. I. 18.

§. 14.

Sed cur prohibuit Christus Apostolis, prædicare, quod ipse esset Messias? Matth. XVI. 20. Marc. VIII. 30. Luc. IX. 21. Et heic ratio in propatulo est. Quia, ut ex exemplo Petri appareat Matth. XVI. 22. de regno Messiano præjudicia Judaica fovebant adhuc, nec capere poterant, Messiam occidendum.

dendum. Certè non prohibuit genuinam Messiæ prædicationem, ad quam tūm nondum fuerant apti satis. Vide GAILLARDVM l. c. Alias rationes supra memoratas non excludimus.

§. 15.

Cur itaque, ais, injunxit illis, ut prædicarent, regnum Messiæ adventâsse, si ad hanc prædicationem nondum fuere apti? Respondeo, hanc prædicationem in genere ipsis fuisse injunctam, injunctumque insimul, ut genuinam Messiæ ideam sibi compararent, aptosque per consequens ad hanc prædicationem se redderent. Sufficerint hæc ad quæstiones has, sanè quàm momentosas!

POSTFATIO.

Hæc postquam scripsерamus, sub oculos labitur celeberrimi mihiique amicissimi Göttingensium Theologi, CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI *dissertatio A. 1747. edita, in qua illustrantur loca illa, quibus Christus legitur vetuisse publicari suum aliquod miraculum.* Video, Virum doctissimum aliam inire semitam. Sed

*diversum sentire duos de rebus iisdem,
incolumi licuit semper amicitia.*



Coll. diss. A. 208, misc. 19